





01 JUN 2004

4382

13
M. 1. 1

DISSERTATIO
INAUGVRALIS MEDICO PRACTICA
DE
ARTHRITIDE

QVAM
ANNVENTE
INCLITA FACVLTATE
MEDICA

IN
ANTIQVISSIMA AC CELEBERRIMA
VNIVERSITATE VINDOBONENSI

PRO
DOCTORATVS LAVREA, SVMMIS-
QVE IN MEDICINA HONORIBVS ET
PRIVILEGIIS LEGITIME CONSEQUEN-
DIS PVBLICAE DISQVVSITIONI
SVBMITTIT

ANDREAS SZÖÖTS
TRANSILVANO - HVNGARVS.


DISPVTABIT VR
IN
VNIVERSITATIS PALATIO.

Die Mensis Decembris

MDCCLXXXIV. 12/16

EX TYPOGRAPHIA BAVMEISTERIANA,

Eum vero recte curaturum, quem prima
origo causæ non fefellerit.



A. C. CELSUS
de Med. Libr. I. in
præfatione.

VIRO CLARISSIMO
A C
CELEBERRIMO
SAMVELI PATAKI.

MEDICINAE DOCTORI.
PHYSICO ORDINARIO INCLITI
COMITATVS - COLOSIENSIS.

PHILOSOPHIAE ET MATHESIOS PRO-
FESSORI IN ILLVSTRI COLLEGIO REF.
CLAVDIOPOLITANO.

VIR CELEBERRIME!

*D*iu jam animo habeo, meæ in in TE venerationis publicum dare testimonium: quare meorum laborum, primum hoc specimen medico practicum, pro maxima parte ad lectos ægrorum collectum, TVO nomini sacrum esse volui. Encomium tuarum virtutum lubens prætereo, veritus ne Tuam offenderem modestiam. Nec immensa Tui nominis amplitudo, meo eget preconio: celebrat eam, totus noster vastus Principatus, qui Tibi propter ingentem civium numerum, quos ex faucibus orci eripuisti, vitæque tradidisti ostantes, quos inter & me ipsum habes, sic exclamat:

O qui capacem nobilis artifex
Eludis Orcum; — — — —

Præsens fugacem sistere spiritum

*Præfens maligno tollere de toro
Mortale corpus, & propinquum
Exſequiis remove morbum:
Quem nos honorem, quas ſtatuas
Tibi*

*Ponemus, nos cui non alium parem
In arte vidimus. — — —*

*eam, gratiſſimo animo tota mecum
diſcipulorum fatetur cohors, quem
per plures annos, in Philoſophicis,
& Mathematicis tanta ſoliditate ma-
nu duxiſti. Patere itaque Vir Ce-
leberrime, ut in æternæ gratitudinis
teſtimonium, has meas quæleſcunque
primitias TVO nomini conſecrem.
Accipe eas benigne, meque tuum
diſcipulum favoribus ulterius proſe-
qui non dedigneris. Vale*

*Cultor TVI nominis perpetuus
Andreas Szűts.*

P R A E F A T I O.

De arthritide genuina regulari, & anomala, scribere animum induxi; tum quia regnante epidemia arthritica hic loci, ejus decursum & varios lusus, per integrum annum in Nosocomiis observavi; tum quia anomala arthritis, partium quas invadit morbos proprios, & vernaculos, adeo ad amissim imitatur, ut si ex solo symptomatum concursu diagnosis formeretur (ut plerumque fit) pro iisdem imponat lethali non raro eventu. Morbum hunc tam protheiformem, ea qua fieri potest brevitate describere enitar; æque parum enim verborum copiam, ac elegantiam, ad

morborum curationem conferre, præmonente Celso, quam maxime persuasum habeo. Celeberrimorum practitorum monumenta evolvi, & ad propositum meum facientia excerpti, ita tamen ut maximam partem hujus Dissertationis constituent ea, quæ ex Collegiis Cl. Professoris *Maximiliani Stoll* hausi, ipseque in variis Nosocomiis observavi.

Si quæ ex hoc opusculo, in Medicinæ Tyrones redundarit utilitas, attingi operæ meæ pretium; sin minus, inter communia vitæ humanæ fata reponam, non enim omnia possumus omnes; at principali saltem excidere scopo non potui, ut legibus academiæ fieret satis.



CAPUT I.

De Arthritide, ejus divisionibus, & definitionibus, in genere.

Arthritis in genere est dolor articulorum quiscunque.

Dividitur

I. Ratione originis, *in hereditariam*, quæ a parentibus per generationem derivatur in seros etiam sæpe nepotes; *acquisitam*, quæ post nativitatem acquiritur.

II. Ratione partis affectæ, *in Podagram*, si dolor pedes occupet, *Chiragram* si manus, *Pechiagram* si cubitum, *Omagram*, si hume-

rum, *Gonagram* si genua, *Ischiagram* si coxendicem, *Lumbaginem* si lumbos dolor occupet arthriticus. &c.

III. Ratione Typi in *regularem* : quæ stato tempore redit ipsosque artus occupat, & in *anomalam*, quæ incerto tempore, & ordine redit & truncum corporis vexat. Alii vero definiunt, quæ modo has, modo illas infestat partes, & ubi auxilio artis opus est, ut finis a natura intentus, obtineatur, nullaque ægro læsio superveniat. a)

IV. In *Fixam*, quæ locum semel occupatum non facile deserit, & in *Vagam*, quæ modo hanc modo illam partem occupat, hanc deserit & aliam invadit.

V. In *Manifestam*, quæ consveta forma nempe sub doloribus artuum suam ludit tragædiam, & *Larvatam*, que se sub schemate, alterius morbi occultat.

VI.

a) *Crane* Beobachtungen über die chronische Krankheiten. 1ster Theil.

VI. In *Febrilem*, & *non Febrilem*, illa subdividitur pro ratione febris, in inflammatoriam, biliosam, pituitosam, & putridam.

VIII. In *Retropressam*, quæ dicitur ubi arthritidis regularis, inepta medicatione locum consuetum deserere, & in sanguinem redire cogitur, vario eventu vel enim deponitur ad truncum (quod frequentissimum) diversissimosque producit morbos, pro diversitate partis trunci ad quam decumbit: vel circulat cum sanguine sine facta alicubi depositione, atque vel excitat febrem validissimam, vel vires naturæ suffocat subsequente morte inopina: vel vero e corpore expellitur, sine magna molestia, quod omnium rarissime contingit.

VIII. In *Genuinam*, quæ oritur, a materia arthritica in sanguine accumulata, de cuius indole Capite sequenti agetur: In *Scorbuticam*, quæ ab acrimonia scorbutica nascitur: cognoscitur ex signis scorbutici: curatur antiscorbuticis: *Syphiliticam*, quæ ab acrimonia syphilitica provenit, cognoscitur ex signis syphilitidis, & curatur antisiphiliti-

liticis ; in *serophulosam*, quæ ab acrimonia serophulosa natales accipit, cognoscitur ex signis serophularum, & curatur anti-serophulosis.

IX. In *Meracam* quæ nullum alium comitem habet morbum, & in *Complicatam* diversa ratione, prout Capite XII. dicitur.

CAPUT II.

De Arthritide genuina, ejusque indole, sede, affinitate, causis, & differentia a rheumatismo.

Arthritis genuina, est morbus antiquissimus, omni tempore observatus a) frequentior in urbibus, ibique inter laute viventes, otiosos, gravibus curis obnoxios, aulicos, mercatores inter spem atque metum viventes, opipare tamen; amat plagas borea.

a) *Aretheus Cappadox. Libro II. Cap. 2.*

Galenus de natura hominis Comment. II, ad Hypocrat.

Paul. Aeginetæ Lib. III. Cap. 78.

Trallian. Lib. II.

reales præ australibus, loca depressa, humida, frigida, nulli ætati parcat, frequentissima tamen in ætate adulta, & senili, sexum utrumque plectit, virilem tamen præ foeminino, cum is magis sit obnoxius causis arthriticis &c. Est sepe sporadica, sæpe epidemica imo stationaria, observante namque Cl. Professore *Stoll*, Præceptore meo in æternum venerando anno 1782 Mense Septembri intravit epidemia arthritica, ad hucusque tempus nondum emortua, sed cum febre biliosa, bilioso-putrida, pituitoso-putrida pari passu grassatur.

Causa proxima arthritidis est acrimonia humorum peculiaris, cum viscositate eorundem, b) nata ex impedita sanguinis defecatione, ab assumtis nondum perfecte assimilatis, propter debilitatem vasorum: c) vel si magis determinare velis, cum *Celeb. Stoll* Præceptore meo, nunquam satis venerando, causam proximam arthritidis dices esse, humorem biliformem seu atrabilarium in sanguine accumulatum, cum augeta irritabilitate

b) III. L. B. van Svieten Tom. IV. in aphorism
Herm. Boerh. ad §. 1263.

b) Sydenham de Podagra.

te solidorum: acrimonia hæc, qualiscunquæ demum fuerit, circulat cum sanguine, quoad copia vel acrimonia sua excitat febrem depuratoriam, sic dictam podagricam, vel si mavis arthriticam, coquentem, & extricantem humorem biliformem, ex massa humorum universali, & partim per sudores, urinam, alvum, e corpore eliminantem, partim ad artus depellentem, faciendo podagram, Chiragram &c.

Causæ remotæ prædisponentes sunt: nativitas a parentibus arthriticis. Aetas media vel senilis. Sexus virilis præ fœminino. Temperamentum atrabilarium.

Causæ remotæ excitantes. *Quoad ingesta.* Viſtus opiparus, carnosus, pingvis, animalium in stabulo faginatorum, oleosus, dyspepta quæcunque, imo etiam eupepta, exercitiis corporis non proportionata, abusus potus spirituosus, & fermentati. *Quoad gesta.* Vita sedentaria, omissis exercitiis antea consuetis, curæ graves, venus præmatura, studia immodice culta præprimis nocturna, & mox a pastu resumta, meror, metus &c. *Quoad retenta.* Suppressio, vel im-

imminutio qualiumcumque excretionum, per quas sanguis defecatur, præprimis vera perspirationis sanctorianæ. *Quoad applicata.* Habitatio in locis depressis, palludosis, frigidis, aëre humido.

Antequam descriptionem arthritidis agrediar, juvabit aliquid dicere, de affinitate arthritidis cum febre biliosa, reliquisque morbis biliosis, & pituitosis, quæ elucet ex sequentibus: imo. Arthritis eodem tempore regnat, cum morbis biliosis, pituitosis, nempe vere & autumnò. 2do. Stadium primum febris podagricæ, tantam habet analogiam, cum stadio primo febris biliosæ, ut non facile unum ab alio discernas, febris nempe podagrica est continua remittens, ut ipsa febris biliosa; symptomata febris podagricæ eadem sunt, quæ febris biliosæ nempe: anorexia, pondus ventriculi, cardialgia, amaror oris, urinæ biliosæ. 3io. Febris biliosa inepte curata abit in arthritidem. 4to. Febris intermittens biliosa, præmature Cortice jugulata, fatiscit in arthritidem longam difficilem. 5to. Febris biliosa continua vel intermittens, arthritidi superveniens bene tractata eam sanat. Ex his

his concludere licet febrem biliosam & arthritidem ab eadem causa oriri, nempe humore biliformi qui pro diversitate partis ad quas decumbit, diversos producit morbos forma tantum differentes, ita tamen ut diversitas partis, & viarum per quas natura crasim molitur, in methodo medendi etiam aliquid peculiaris poscere possit. Patet simul ex dictis a) Arthritidem contagiosam non esse, nisi febrem biliosam habueris pro contagiosa. b) Arthritis regularis e. g. Podagra regul. præservat a morbis biliosis, febrilibus & non febrilibus, namque per eam materies biliformis, horum morborum causa genitrix e sanguine expellitur.

Sedes arthritidis regularis, est in ligamentis articulorum, & membranis cartilagineis cingentibus; anomalæ vero in qualibet trunci parte, præprimis tamen in membranis mucum fecernentibus e. g. ventriculo, intestinis, viis uropojeticis, pulmonibus, encephalo. &c.

Exposita sede, & affinitate arthritidis, juvabit aliquid dicere, de eius differentia a rheumatismo, nam sæpe errore periculoso

arthritis imponit pro rheumatismo, cum in ea adsit dolor, calor validus, pulsus plenus fortis, durus, ac in inflammatis, imo non raro durior, proprium enim arthritidi est, etiam non febrili, pulsus habere tensum, durum, quod sæpissime observavimus in nostris arthriticis, viam nobis ad observationes rite instituendas, pandente Cl. *Maximiliano Stoll*, Professore meo nunquam satis venerando; in hoc itaque dubio sunt qui discrimen facturi, refugiant ad sedem morbi, dicentes, eam in arthritide esse ligamenta artuum, in rheumatismo vero vaginas musculorum, sed hæc distinctio magis theoretica (& certe insufficientis) quam practica est. Unde ut arthritidem, a rheumatismo discernere possis, ad sequentia attendas: an æger podagræ sit subjectus? an adsit tempus quo podagra alias redire solebat? an præsentem ægritudinem prædesse aliqui prodromi, futurum paroxysmum podagricum annunciantes? & an illi antequam præsens ægritudo sibi sedem figeret, mitigati sunt, & appetitus vorax subsecutus? si hæc signa adesse vides, præsentem ægritudinem habeto pro arthritica, & si fuerit in extremis, cave phlebotomiam instituas.

B

Si

LA BIBLIOTHEQUE ROYALE

Si vero dolor sit continuus, sine remissione vehemens, partesque occupet internas, cum signis inflammationis genuinæ hic phlebotomias, & reliquum apparatus antiphlogisticum adhibebis usque dum dolor extrema invadat.

Si autem ægritudo de qua dubitas num arthritidis, vel rheumatismus sit, oriatur a suppresso perspirabili, absentibus aliis causis arthritidis, & signis proxime enumeratis, eam habeto pro rheumatismo. Hanc distinctionem magni momenti & vere practicam habeo; namque si sit rheumatismus, præsentibus etiam artuum doloribus, pulsu existenti pleno, forti, duro, calore simul notabili, tuto phlebotomiam institues, & cum bonis ægri rebus; sed si præsens ægritudo sit arthritica, phlebotomia male cedet, & ex regulari, arthritidem faciet anomalam.

Arthritidem regularem, descripturus, accipiam pro norma, regularem & meracam, quæ ætatem adultam adfligere solet, talis nobis erit Podagra regularis.

 C A P U T III.

Descriptio Podagræ regularis, & ejus curæ.

In Podagra regulari describenda, eum servabimus ordinem, ut imo. Exponamus prodromos podagræ. 2do. Symptomata paroxifimi jam præfentis.

Prodromi podagræ: imo. Januario ex-eunte, vel Februario initiante, conquærun-tur cardialgiam, appetitus viget imo adest voracitas, alii infolitum frigoris in ventri-culo fenfum, alii dicunt ac fi ventriculus aquæ innataret, alii cruditatem biliofam cum fapore auctero ac fi atramentum de-glutiviffent, alii glutinofum fpontaneum per plures dies, feptimanas, alii flatulen-tiam patiuntur, & flatus ano catoqve eruc-tant; gravitatis, & plenitudinis fenfum toto corpore experiuntur, fomnus minus refi-ciens, cruditas cum voracitate, ut per voracitatem poffis diftingvere cruditatem podagricorum, a cruditate febris bilio-fæ, quæ cum anorexia conjuncta eft, ir-ritabilitas aucta deprehenditur, magna ani-mi mobilitas, in exercitia antea confveta

major proclivitas, hinc litterati perspicaciores, veneri dediti salatiores, hoc tempore observantur. 2do Paucis ante paroxysmum diebus femorum crurumque torpor, temporarius stupor, flatum quasi descensus per femora, spasmi, crampi crurum. 3tio. Pridie ante paroxysmum, cessantibus vel multum imminutis omnibus symptomatibus, appetitus redit voracior, nec naturalis, insolita hilaritas & agilitas sine nota causa.

Observatio. Nro. 1mo. recensita symptomata, indicant futuram depositionem, materiei atrabilaris seu podagricæ ad aliquam partem. Nro. 2do recensita symptomata indicant partem ad quam depositio futura est. Nro 3tio recensita symptomata indicant prægressam coctionem partialem, & proxime futuram criticam evacuationem, notante Cl. Anglorum medico *Crant* in egregio tractatu *Beobachtungen über die chronischen Krankheiten, erster Theil, Seite 122.*

Symptomata paroxysmi podagrici præsentis, seu stadii secundi, dicti febrilis: 1mo. Prodromi prægressi. 2do. Vespera sanus obdormit, hora secunda noctis corripitur

pitur horrore, dolore, ad pollicem pedis, vel calcaneum, vel furas, &c. febris oritur continua, quæ una cum dolore, increfcit ad horam circiter secundam noctis insequentis, 24 horis exactis remittit, subsequente crisi, per sudorem, urinam, & depositione ad pedem forma erysipelatis, quod sæpe confunditur cum erysipelate genuino, errore pernicioso, hinc juvabit signa proponere, quibus a se invicem discerni possint, talia sunt: In erysipelate podagrico, rubedo est dilutior, tumor minor, splendor major dolor acerbior (sæpeque tam inmanis ut vix non omnem superet patientiam humanam) quam in genuino. Crisi hac ingruente, æger hucusque insomnio, & partis dolentis continua volutatione excrutatus, in placidum labitur somnum, quinque circiter horarum, quo expergestus se resectum, omnia symptomata mitigata, imo non raro sese *απυρετον* sentit, si dolorem excipias partis adfectæ.

Crisis per sudores, urinam, & depositione ad pedes, quæ post nyctemeron a primo febris accessu subsequitur, est tantum partialis, partem tantum materiæ podagricæ

dagricæ, quæ per febrem cocta est dissipans, reliqua manet in sanguine intricata, nova febris depuratoria exacerbatone extricanda, hinc post remissionem 24 horarum intrat exacerbatio nova, quam pariter subsequitur remissio, & crisis ut supra dictum est, simili modo redit exacerbatio, omni alterno die usque dum si non omnis, maxima saltem pars materiæ podagricæ dissipetur, tumor pedis erysipelatosus evanescit redeunte perfecta sanitate, quæ per medium, vel integrum, imo per duos annos perstat, donec novus materiæ podagricæ proventus nascatur, nova febre depuratoria extricandus, & e corpore eliminandus. Febris podagricæ decursus plerumque talis est, qualem proxime descripsi, non tamen semper, sæpe enim omni die exacerbatur, at exacerbatione omni alterno die validiore, ut referat hæmitriteam, aliquando tertianum duplicatam, cujus decursus est sequens: incipit pariter ac præcedens, hora noctis secunda, mox de die remittit, hora quarta à meridie exacerbatur, circa auroram remittit, crisi partiali comitata, hora quarta à meridie exacerbatur iterum & s. p. Aliquando febris podagrica, refert febrem
inter-

intermittentem quartanam &c. sed notandum, etsi febris intermittat, dolor tamen est continuus.

Paroxismus universalis, ex pluribus paroxiunculis constat, e. g. in podagra recenti, vegetorum, & robustorum, cum prima specie febris podagricæ, absolvitur septem paroxismis partialibus, ut totus paroxismus intra 14 dies detonet: si vero tempus intercalare male transigatur, subsequens paroxismus, 14 paroxismis partialibus constabit, tot namque requiruntur ad despumandum sanguinem, tanta mole materiæ podagricæ inquinatum, & sic ascendit paulatim ad proximos partiales 21, i. e. quadraginta duos dies, & si podagricus tempore intercalari, pergat luxuriari, in causis excitantibus, intra duos annos paroxismus universalis, ascendit ad viginti octo paroxismos partiales, i. e. quinquaginta sex dies. Hæ observationes recentiorum bene conveniunt, cum illis Sydemhami dicentis: *In senioribus, & quos sapius afflixit, per duos menses in iis vero qui annis vel diuturniori morbi mora fractiores jam sunt, non prius valedicit quam ætas jam adultior eam fugavit.*

(np. Podagram.) Podagra redit vere, & autumno; cujus rei ratio legi meretur apud Sydenhamum a).

Cura Podagræ regularis, alia est paroxismo imminente præsentibus prodromis; alia est in ipso paroxismo; alia extra paroxysmum.

Præsentibus prodromis futuri paroxismi podagrici, indicatio est, conamina naturæ in febre despumatoria producenda adjuvare, ut per eam materies podagrica concoquatur, & eliminetur, quod fit :

1^{mo}. Omne in sex rebus non naturalibus vitium vitando, præcipue in diæta, somno, exercitio corporis; vitanda omnia pinguia, butiracea, omnia dyspepta, vitæ sit eupeptus, & antibiliosus, omnia corporis collutoria servantur aperta, hinc si adsint certa signa saburæ sursum turgentis, lene emeticum dari potest, alvus aperta servanda per eccoprotica mitiora, quale nobis est Electuarium lenitivum sulphuratum, de vespera sumendum, vel aliquot grana

Rhei

a) De natura morborum chronicorum. p. 456.

Rhei dietim ante prandium propinanda, vestitus sit densior, & calidor ac secus.

2do. Si sint debiles, præter dicta observent sequentia: A prandio paulo plus vini bibant, ac secus, nec non omni eorum alimento liquido, pauxillum vini adjicere prodest, loco vero medicamenti aliquid ex lenioribus cardiacis, amaris, propinare, inter quæ, optimum nobis videtur, vinum martiale; alimenta eorum juvat condire pipere allio &c.

3tio. Quam primum prodromi remittunt, & appetitus redit voracior, expecto brevi superventuram podagram; hinc omnibus sepositis medicamentis, naturæ hoc conamen adjuvare conabor, extrema blando tempore fovendo & vespera loco cœnæ; serum lactis vinosum cum cremore hordei vinoso propinando.

Curam podagræ, in paroxismo proposituri, dividemus eum, in duo stadio, nempe stadium primum seu cruditatis, & stadium secundum seu coctionis, criseosve.

Cura in stadio primo, seu cruditatis, ubi febris exorta despumatoria occupata est, in coquendo extricando & dein eliminando humore atrabiliari seu podagrigo, absolvitur quiete, diæta tenuiore antibiliofa, remediis solventibus aperientibus mitioribus v. g. Roob Sambuci cum nitro. Collutoria omnia ferventur aperta, caveantur ægritudines aliæ quæcunque supervenientes, vitentur phlebotomiæ intempestivæ, cave ne æstu quem æger conquæritur pulsusque duritie secularis ad phlebotomiam celebrandam in homine podagræ obnoxio prægressis prodromis futuri paroxismi podagrigeni; vitentur purgantia valida; ast mannatis, tamarindinatis, primas vias detergere non nocet.

Cura in stadio secundo; ubi remittente febre incipit crisis partialis ut superius descripsimus nempe (a) Levi madore totius cutis quinque circiter horas durante. (b) Urinis biliosis mox jumentosis, brevi hypostaticis hypostasi subalbida lateritia, ac in morbis hepaticis. (c) Metastasi ad pedem sub specie crispelatis. (d) Metastasi in cavum ventriculi, tubique intestinalis; nam sub finem cujuslibet exacerbationis os amarefcit

feit & pituita redundat. Indicatio in hocce stadio est

I. Crisim moderari, quod fit: 1^{mo}. Si ea fit parca adjuvare mitissimis, nec eam extorquere reluctante natura. 2^{do}. Si sit moderata naturæ committere, dando solum vehiculum conveniens. 3^{tio}. Si sit nimia eam compescere.

II. Symptomatibus urgentibus prospicere.

Nunc statim diximus primam indicationem esse moderamen criseos; hinc oportet describere modum quo id fieri debeat, unde observandum est.

(a. b) Crises hæ parcæ vel & moderatæ (nam hæ etiam adjuvari possunt mitissimis) adjuvantur.

1^{mo} Si æger bene tectus se in lecto contineat quoad usque febris penitus cesset.

2^{do}. Pedes balneis tepidis foveat ad facilitandam depositionem & mitigandum dolorem

lorem, de nocte vero, vel etiam de die si balneo uti non possit vel nolit, pedes lana tecti tela cerata obducantur.

3tio. Omni mane nisi sponte alvus moveatur propinetur Electuarium lenitivum sulphuratum, vel tamarindinata cum cremore tartari, ut materies podagrica ad primas vias deposita eliminetur antequam resorberi posset: alii hoc per enemata intendunt; sed iis eccoprotica præferri merentur. Observandum tamen est tamarindinata ea dosi esse danda, ut intra noctem bis; ad summum ter alvus moveatur.

4to. Roob Sambuci cum melle paratum, adjecto nitro; sic enim & urina & diaphoresis lenissime promovetur.

5to. Diæta sit excarnis acescens antibiliosa liquida feбри commensurata, paulo ergo copiosior quam in primo stadio; alimentum adsummant aliquot horis ante ingressum exacerbationis, ut ad ejusdem ingressum usque digestio absolvatur; potus sit vino debilior, aqua tamen fortior, qualis nobis est e. g. serum lactis vinosum.

(c) Si crifes, vel potius dixerim evacuationes fuerint nimix; ex erunt compefcendæ c. g. Si fudor qui naturaliter per quinque plerumque horas durare folet nunc per totam remiffionem continuet immodicus, cum fiti, dedolatione, inquietudine &c. is erit fymptomaticus, unde cohibendus quod at enemate alvum eluendo, omnia calida alimenta fubtrahendo, truncum levius tegetendo, indusia mutando, corpus panno ficco abftergendo, ægrum in lecto federe jubendo, fi hæc non juvent e lecto eximendo & aeri libero exponendo artubus tamen optime veftitis.

Diximus alteram indicationem in cura fecundi ftadii, effe fymptomatibus urgentioribus profpicere. Symptoma urgens hic eft dolor sæpe vix non omnem patientiam humanam fuperans: cui profpicitur pedes fovendo balneo tepido, vel lana cum tela cerata: vitanda folicite adftringentia. actu frigida, oleofa &c.

Hac procedendo methodo exacerbatio paulatim minuitur, & remiffio vel intermiffio augetur, tandemque febris abeft omnis,
 sub-



subsequitur intermissio: quam primum hoc fit, ægrum oportet surgere, & pedibus uti, licet dolor omni passu immaniter augeatur; sic enim materies podagrica in articulis inspissata imo concretiones duræ resolvuntur, redit artuum mobilitas, noctesque quas dum esset clynicus, præ dolore insomnes agebat, nunc exercitio diurno defatigatus placido somno transigit, dolores mitescent, demumque penitus evanescent perfecta redeunte sanitate. Et tunc est ille status podagrici quo sanguis a materia podagrica maxime purus habetur; tunc tentanda cura radicalis; in qua indicatio est imo. Materiam podagricam adhuc in sanguine forte superititem dissipare evacuare. 2do. Novam ejus regenerationem impedire.

Primæ indicationi satisfacere vix est in nostra potestate, cum hoc sit solius naturæ opus, tentari tamen potest, omnia collutoria maxime vero cutanea aperta servando, sub usu potus sanguinem purificantis nec tamen solida debilitantis e. g. Seri lactis, vel decocti Sarsæ, Chinæ nodosæ, Sassafras, Auctore Sydenhamo a); Sub usu medicamentorum

a) *De Podagra. p. 464.*

torum leniter aromaticorum & aperientium.

Alteri indicationi satisfaciemus vasis debitum robur restituendo, ut digestio, sanguinis elaboratio, omnes secretiones & excretiones debito modo peragantur; quod fit 1mo. Regimine antipodagrigo observato, 2do. Medicamentis tonicis.

Regiminis antipodagræci nomine nobis venit sex rerum non naturalium usus antipodagræcus, quem sequentibus regulis includere conamur.

I. Victus antea lautus, & varietate ferculorum luxurians, fiat simplex & paucis ferculis constans, non tamen tenuis, sed bene nutriens, roborans, viribus ventriculi & exercitiis corporis commensuratus nec excessu nec defectu peccans, non pingvis, glutinosus, farinosus, an nec acris, aromatè conditus? (prout vult Sydenham) a) qui licet coctionem non lædit, nocet tamen quatenus morbi fomitem exagitat, & gulæ
irri-

a) *De Podagra* p. 460.

irritamento est, hætenus Sydenham. Nos tamen putamus victum, leniter aromate conditum, nec ulla alia qualitate peccantem, podagricis nocere non posse, cum leve aroma digestionem promoveat. Carnibus tantum in prandio, iisque non pingvibus, ex animalibus in libero aëre sese exercentibus desumptis, nec fumo induratis vescantur, vitet ingluviem, & si lautum sumserit prandium, (quod vitare debuisset) per 24 horas nihil adsummat alimenti, corpusque exerceat, & ut uno verbo absolvam, vitent in victu quidquid ventriculum debilitat, loco cœnæ cerevisia tenui sint contenti.

II. Potus vino asvetis non sit mere aquosus, sed vinum *αληγορορεως* (aqua dilutum, aqua namque mera debilitat vires coctrices, vinum meracum mori idem facit, simulque stimulo nocet) vel cerevisia tenuis; extra prandium & cœnam, aqua frigida, potus Caffè, Chocolate cum vel sine lacte sed semper sine cremore, non nocent.

III. Exercitium corporis sit moderatum, nimium enim spiritus exhaurit, & coctionem lædit, deficiens vel parcus corpus debilitat,

litat, laxat, &c. Exercitium corporis quotidie fiat mane & vespera in aëre libero, non ad defatigationem, sed ad refectionem & incipientem usque sudorem: inter exercitia corporis maxime laudatur piscatura in fluviis, dein deambulatio; tum equitatio; (huic tamen illa præfertur) denique vestio & frictio: quæ duo postrema ubi prædictis uti propter debilitatem æger non potest solum adhibenda.

IV. Somnus non nimis productus, in lectis non plumaceis, sed duriusculis, ex pilis equinis confectis, de vespera mature initus, nihil enim magis nocet podagricis, post phlebotomiam & catharses, quam vigiliæ in seram noctem protractæ: hinc vespera mature lectum petant, et alto mane surgant.

V. Animus sit liber a curis, studiis nocturnis, gravibus, ingratis, profundam meditationem exigentibus (oblectantia studia, etsi graviora, sunt minus noxia) post partum illico resumtis (hæc enim debilitant vires ventriculi) ab omnibus animi affectibus corpus debilitantibus, quales sunt e. g. mœror, metus, &c. oblectent animum specta-

culis amenis, studiis, in quibus longa meditatione, fessione opus non est, v. g. pictura, historia naturali, contemplatione antiquitatum &c.

VI. Itinera per plagas calidas, n^o. Italiam, Galliam, observando potius quam studendo. Itinerationes juvant. Imo. Aëre mutato, 2^o. Corporis exercitio, 3^{io}. Grata objectorum varietate animum exhilarando

VII. Vitanda solite venus nimia, phlebotomiæ, cathartes consuetudinariæ &c. non indicatæ.

VIII. Omnia collutoria ferventur aperta, in alvi obstructione de vespera Su'phur adsummere commendat *Crant.* a) Perspiratio (quæ impedita vel suppressa omnium frequentissima causa arthritidis esse solet) servatur libera corpus muniendo idoneis vestimentis, contra vicissitudines aëris, corpus debite exercendo in aëre libero, ejus superficiem mundando balneis frigidis.

IX.

a) Beobachtungen über die chronische Krankheiten, 11ter Theil S. 114.

IX. Vestitus sit densior quam temporis annui ratio id exigeret, sero vel plane non deponantur vestes hiemales, & mature exuantur æstivæ.

X. Habitatio sit in cubili amplo, elato, aëri puro pervio, de hieme moderate calido, ætatem ruri in alpibus, vel saltem locis editioribus transigant, sub copioso potu seri lactis amaricantibus stomachifati.

XI. Rusticatio, & usus aquæ frigidæ plus prodest, quam omnia alia remedia: in usum vero trahitur aqua frigida forma lotionis, submersionis momentaneæ, seu balnei præcipitatorii (Germanis vulgo *Stürg-Bad* dicti) natationis, embrochationis. Initium fit a lotionibus modo sequenti: mane ubi surrexit, deteriso sudore post quadrantem horæ, vel semihorium totum corpus per fricet manu, vel sponsia aqua frigida imbuta. Circa lotionem observari merentur sequentia: 1mo. Quod ipse semet fricet, nec per alium fricari curet: nam hic simul requiritur corporis exercitium conjunctum. 2do. Frictio fiat mane jejuo vel saltem non

repleto ventriculo. 3io. Ne fiat sudante vel calente corpore a motu prægresso. 4to. Post lotionem bene vestiti, corpus exerceant deambulando. 5to. Lotio præfertur balneo frigido; nam vel hieme gelidissima, prout & in itinere, ubi non datur occasio utendi balneo, semper adhiberi potest.

In Balneorum frigidorum usu, observanda sunt sequentia: 1mo. Quum corpore sudante, vel nimis calente balneum intrare frigidum sit periculosum, hinc vehantur ad balneum, sed a balneo pedes revertantur: nam balneatis exercitium corporis maxime salutare est. 2do. Se simul & semel in aquam non immergant, nisi de momento exilire velint, sed lotionem totius corporis præmittant. 3io. In balneo non sedeant, sed sese moveant, ut gratum caloris sensum experiantur. 4to. Commoratio ægri in balneo determinetur a sensu ægri grato.

Balneum præcipitatorium in cura Arthritidis palmam reliquis præripit; per contremiscentiam enim frigore toti corpori inductam, & nisum magum ex aquis emergendi, stagnantes humores agitantur, attenuantur,

tur, in motum aguntur, & post egressum e balneo, vasis antea frigore spasmodice constrictis relaxatis, per longam diaphoresim e corpore expelluntur, corpusque simul roboratur, ut novæ materiæ podagricæ generandæ resistat. Balneum tepidum febrem excitando humores stagnantes pariter attenuat, & sudore eliminat, sed corpus debilitando, auget causam, novam materiam podagricam regenerantem.

Remedia tonica antipodagrica desumuntur. imo. Ex radicibus herbisque amaris, simulque leniter stimulantibus. 2do. Cortice Peruriano, quem omnibus aliis tonicis præfert Sydenham. a) 3io. Ufu aquæ frigidæ, qui ut nunc statim diximus, omnibus reliquis antipodagricis palmam præripit.

Cura radicalis hucusque a nobis descripta, cum constantia continuari debet, ad comparentiam vsque prodromorum futuri paroxismi podagrici; quod si feceris podagram acquisitam necdum inveteratam

C 3

feli-

a) *De Podagra* p. 454.

feliciter curabis; inveteratam vero reddes tolerabiliorem, apyrexiam prolongabis, paroxysmum breviorum minoribusque incommodis stipatum facies; sufficientem tamen ad scopum naturæ obtinendum.

C A P U T IV.

De methodo medendi inepta, & noxia in podagra.

Juvabit hic aliquid differere de methodo medendi, quæ materies podagrica invita natura magno ægri malo, non infrequenter lethali, eliminari tentatur. Tales sunt:

1mo. Venæ sectiones, quæ in podagra meraca, cum inflammatione genuina non complicata, semper nocent, in apyrexia vires deterendo paroxysmum invitant, præsentibus prodromis depositionem ad artus impediunt; unde fit decubitus ad interiora; facta jam depositione augendo resorptionem producunt podagram retropressam; paulo post paroxysmum celebratæ eundem resuscitant.

2do. Alii conantur per catartica eliminare materiam podagricam ; sed purgantia fortiora semper nocent, tam in apyrexia, quam in paroxismo ; mitiora vero possunt dari tam in paroxismo , ut supra ostendimus, quam extra paroxisum, præsentè indicatione. Si extra paroxisum dederis scopo , ut ajunt, prophylactico, idque sæpius repetieris, vires ventriculi & intestinorum frangendo paroxisum accelerabis, vel podagram regularem convertes in anormalam. Si in paroxismo exhibueris purgans fortius, depositionem ad pedes impediendo, vel jam factam in sangvinem revocando podagram facies ex regulari pariter anormalam. Si post paroxisum dederis, metus est ut paroxisum resuscitabis.

3io. Alii sudoriferis utuntur ad expellendam materiam ex sangvine podagricam, quæ semper nocent, tam in --, quam extra paroxisum. Hic ; quia materia adhuc est cruda, quam pellendo ad artus ante tempus paroxisum resuscitant ; Ibi vero ; quia ultra coctionis gradum sudores movent, violenter simul pellendo materiam podagricam in artus; immanes excitant do-

lores. Ast licet sudorifera semper sint noxia, diaphoretica tamen in stadio secundo paroxismi podagrici merito laudat *Tbeyne*. a)

4to. Alii per diætam lacteam agrediuntur curam podagræ: ast male; nam propter partem butiraceam & casciosam ventriculum debilitat; unde causam podagræ tantum abest ut opugnet, ut potius eandem augeat. 2do. An & quia lac alimentum valde nutriens, viscera sana & continuum corporis exercitium exposcens esse creditur? b) Podagricorum vero viscera sunt debilitata. Ex his patet diætam lacteam podagricis minime convenire, nec nisi eatenus prodesse, quatenus diætæ lautiori tanquam tenuior substituitur. Ast ut ut lac ipsum podagricis non conveniat, serum tamen lactis, maxime vero lac ebutiratum stomachicis junctum, iisdem ab omni ævo maxime proficuum esse observatum est.

C A-

a) *Treatise on the Gout* p. 22.

b) *Crane Beobachtungen über die chronische Krankheiten*, 1ster Theil S. 167.

CAPUT V.

De methodo conservandi proles arthriticorum ab arthritide.

Experientia constat proles arthriticorum fieri arthriticas, arthritidem vero hæreditariam jam formatam curam radicatam agnoscere nullam; hinc necesse est, ut vitium hoc latens, antequam in actum erumpat extinguatur, sicque podagra, ut ajunt, in herba suffocetur. Unde spero me non inutilem navaturum operam, si modum & viam expediam, qua id fieri possit. Hoc sequentibus præstare conabor.

Imo. Mater tempore graviditatis vitet omnia ea, quæ fætum debilitare possent; quod fit fugiendo errorem omnem in sex rebus non naturalibus. 2do. Infantem natum si mater sit sana, robusta, arthritidi minime obnoxia ipsa lactare potest, si vero mater fuerit tenera, debilis, hysterica, arthritidi obnoxia, cæteroquin tamen sana, & satis habens lactis lactet infantem per tres septimanas, sic semet, ipsumque infantem a multis vindicabit morbis; tribus

exactis septimanis optimæ tradatur nutritiõ, per octo vel novem menses, solo nutriticis lacte nutriatur, omnibus aliis rejectis alimentis, dein per mensem quotidie uncias circiter tres, quatuor pancellæ similagineæ; sequenti mense duplum, tertio tripulum, imo plus etiam propinari possunt; circa finem 15. mensis, additur vasculum jusculi, sic fiat sensim sine sensu ablactatio.

3io. Victus sit simplex, eupeptus, copiosus, non tamen nimius, alvus libera servanda. In infantibus ab arthriticis parentibus natis, per magnesiæ muriæ additis floribus sulphuris (quum hi acido, borborigmis, & mala digestionem laborent) Si achoribus laborent, illi per duos, tres annos fluere permittantur.

4to. Plurimum faciunt ad corpus infantile roborandum, mundities, frictions frequentes siccæ, vel cum aqua frigida, agitatio supra brachium; balnea frigida, quibus sensim sine sensu asvefaciendi; aer purus, renovatus cubiculi; frequens exportatio in auram liberam seu frigidam seu moderate calidam; in tenellis vestitus den-

sior,

fior, in adultioribus vestitus tenuior, nudipedium, mitra tenuis &c. Caveatur ne gradi incipientes lapsu præprimis caput lædant, quod fit gestando cuculum more Anglorum contra lapsum parari solitum.

sto. Infans a lactatione quidquid illi exhibetur adsummit; sed illius diæta debet opponi morbo, quo infans laborat, vel laboraturus est. Quamquam difficile sit universales dare regulas, quas omnibus infantibus applicare possis; sequentes tamen in usum vulgarem commendare ausim: a) Diæta pingvis & butiracea infantibus nocet. b) Farinosa & omnia non fermentata infantibus male cedunt, maxime scrophulosis. c) Lac nimis spissum propter partes caseosas glandulas obstruit. d) Nocent condimenta & varietas ciborum; per hoc enim allicitur infans, ad se ingurgitandum. e) Non nisi esurientes comedant. f) Infans ab exercitio corporis nunquam prohibeatur: in eo enim nunquam excedunt; nam quamprimum defatigantur sponte dormiunt. g) Panis biscoctus, vel panis albus bene fermentatus, cum jusculo carnis macilentæ, & cum pauxillo carnis sale conditæ conyenit; h)

h) Nil magis confert infanti ac panis albus, fructus horrei, serum lactis, v. lac ebutiratum, cui interdum aliquid lactis recentis additur.

Observatio. Hactenus dicta, quibuslibet infantibus educandis accomodata sunt; parentes vero arthritici præter hæc, suas proles in locis editioribus educari curent. Usus carnis de die semel & hoc de septimana bis tantum concedatur; vitetur usus spirituosorum; ad quartum usque annum tibialia, & calceos non gestent, qui constrictione nocent; masculi ad duodecimum annum usque caligis non vestiantur; balnea frigida frequenter in usum revocentur; corpus exercent, sic tota compages roborabitur, ut vicissitudines aëris, cæteræque morborum causæ his non multum noceant, ipsaque podagra in femine suffocabitur.

C A P U T VI.

De podagra anomala, ejusque causis.

Exposita podagra regulari sequitur ut de anomala agamus, quam ut clarius exponere possimus, sequentem sequi placebit
ordi-

ordinem. Ut agamus 1mo. De causis, quæ podagram regularem in anormalam convertere possunt. 2do. De classibus podagræ anomalæ. 3io. Denique de variis ejusdem larvis.

Causæ podagram regularem in anomalam convertentes sunt: 1mo. Tempus intercalare male transactum. 2do. Mala medicatio in ipso paroxismo. 3io. Defectus virium. 4to. Complicatio podagræ cum aliis morbis. 5to. Tophi, rigiditas artuum, cum debilitate visceris alicujus, ligatura artuum, tibialia nimis stricta. &c.

Tempus intercalare male transigitur, si podagricus causas excitantes non vitet, sed in iis quasi luxurietur: sic enim vires deterruntur, & tantus fit proventus materiæ podagricæ, ut eidem coquendo, extricando, ad superficiem cutis, vel artus propellendo, vires ægri sint impares; unde fit depositio ad interiora.

Inepta medicatio in paroxismo fit, si ad dolores artuum mitigandos, phlebotomia celebretur, vel detur purgans validum, aut emeticum, vel externe adplicentur adstringentia, v. actu frigida ad erysipelas podagricum.

De-

Defectus virium producitur, vel per ætatem, vel per podagram inveteratam, vel mala medicatione nempe: phlebotomiis, purgantibus intempertivis, vitæ lautæ spirituosæ subitanea mutatione in tenuem, lacteam, vegetabilem, aqueam, vel per alium quæcumque abufum sex verum non naturalium, exhaustentem.

Complicatio cum aliis morbis. Prout variolas regulares & benignas, quæcumque morbus complicatus facit abnormes, ita etiam podagram (quæ vel ob levem etiam errorem anomala fit) quælibet ægritudo complicata, a recto tramite abducit, anormalamque reddit.

C A P U T VII.

De divisione podagræ anomalæ, & in specie de podagra imperfecta ejusque cura.

Podagra irregularis dividitur in sex classes. 1mo. In podagram imperfectam. 2do Vagam. 3io. A nimia copia materiæ podagricæ natam. 4to. In internam. 5to. In inertem. 6to. In complicatam.

Ar-

Arthritis imperfecta, seu incipiens, consistit in sola diathesi arthritica, quæ nobis denotat prodromos paroxysmi podagrici, indicantes materiæ podagricæ insignem copiam in sanguine jam præsentem. Hos prodromos hic describere juvat, ut arthritidem imperfectam, cum aliis ægritudinibus errore vere pratico ne confundas. Sunt vero sequentes: bradipepsia, disforexia, anorexia, dolores colici leves & transitorii, disuria, & hæc omnia sine manifesta causa, alvus nunc constipata, nunc diarrhæica, urinæ nunc copiosæ limpida, hystericarum adinstar, nunc parvæ biliosæ cum sedimento nunc albido - mucoso, nunc lateritio; hypochondriasis, querelæ continuæ, & quasi quoddam delirium circa sanitatem, mœror, dedolatio, averfatio laborum corporis & animi, de die somnolentia, noctes tamen insomnes, somnus non reliens ut a somno magis langveant, habitus corporis externus sanus, imò pingvior apparet; (ad hoc ultimum maxime attendat Medicus oportet: nam similia symptomata ab aliis etiam causis oriuntur ab arthritide diversis, sed semper cum evidenti corporis macie conjuncta deprehenduntur) adnata flavescit.

Cu-

Cura si nulla deprehendas naturæ molimina evacuandi, vel deponendi materiam podagricam ad loca consveta, præmissa emesi cathartive, vel utraqve si indicatio adfuerit, dantur solventia, aperientia, initium faciendo a mitioribus, exercitium corporis, maxime itinationes profunt, vitæ genus si id podagræ favens fuerit mutandum. Hic commendantur usus thermarum, maxime diffitarum; hic omnia fere antiarthritica profunt, quorum præcipua nobis sunt: sambucina, antiscorbutica acria, cum amaris, radice nempe ari, a) vel cum purgantibus npradice Jalapæ, vel rheo, vel cum salibus, b) Antimoniata, flores Arnicæ, sal volatilis oleosus Sylvii, flores Benfoe per se vel cum spiritu salis ammoniaci, sal succini, Liquor cornu Cervi succinatus, Castoreum, Camphora, spiritus Mindereri, Gummi resina quajaci, Extractum Aconiti; reliquis omnibus frustra tentatis magna pollicetur radix

-
- a) *Crant Beobachtungen über die chronische Krankheiten. S. 111.*
- b) *Ill. Præfidis L. B. Antonii de Sörk, præcepta media &c. p. 244.*

dix Gratiolæ, extractum Cicutæ, Vesicantia, c) Observatu dignum est, quod podagra imperfecta, sub usu horum antiarthriticorum raro convertatur in podagram regularem, sed si curetur sensim sine sensu evanescat materia arthritica sic per alvum, urinam, maxime vero per diaphoresim exantlata, tuncque commendamus ægro regimen antipodagricum. Si vero in podagra imperfecta superveniant quædam conamina naturæ materiam atrabilem ad artus deponendi, hic in cura ita procedendum est, ut in prodromis podagræ regularis diximus.

C A P U T VIII.

De podagra vaga, & ejus cura.

Arthritis vaga erraticè fertur: per partes trunci externas, vertebrae, costas, claviculas, scapulam, articulationem maxillæ &c. modo hanc modo illam occupat partem, hanc deserit & aliam aggreditur. Hæc species est frequentissima & reliquis speciebus curatu facilior, sed sæpe etiam periculosior; si nempe recurrat ad vitalia producit non

D

raro

e) *Ill. L. B. Antonii de Stürk Præcept. Medicæ*
P. 245.

raro mortem repentinam, quem casum bis vidi in Nosocomio SS. Trinitatis in binis puellis.

Cura. Innitendum est, ut ab internis ad externa derivetur materies podagrica, quod fit, si partes, quæ omnium aptissimæ sunt recipiendo & evacuando materiam podagricam, laxentur cataplasmatibus, fomentis, balneis emollientibus, vel irritentur epispasticis, vesicantibus, dando simul medicamenta resolventia, alterantia, & diaphoretica, inter quæ gummi-resinam quajaci, extractum florum Arnicæ-Aconiti, sulphur auratum antimonii 3tiæ præcipitationis, optima esse, non semel observavimus in Nosocomio S. S. Trinitatis & Pasmaniano.

C A P U T IX.

De podagra anomala a nimia quantitate materiæ podagricæ, ejusque cura.

Nimia copia materiæ podagricæ coacer-
vatur tempore intercalari a luxurie in cau-
sis excitantibus, unde cum loca consue-
ta omnem in se recipere materiam podag-
gri-

gricam non possint, simul debet ad alia loca deponi ut non tantum pedes, sed genua, manus, cubitus &c. simul patiantur, sicque ex regulari fiat podagra anomala.

In hac specie podagræ anomalæ (partes internæ non patiuntur, & igitur tantum refertur ad anomalas quod non tantum pedes, sed vix non omnes articulationes occupet extremitatum) eadem requiritur cura, quæ in podagra regulari.

CAPUT X.

De podagra interna, ejus speciebus atque cura.

Prima species podagræ internæ est podagra retropressa, quæ est omnium specierum periculosissima, sæpeque cito letalis, nisi potens artis auxilium mature opituletur: nam facta depositione ad sensilia nimis organa, oritur dolor immanis, ut functiones vitales supprimantur, & mors repentina subsequatur a). Podagra retropressa deponi-

- D 2

tur

a) *Crant Beobachtungen über die rheumatische Krankheiten 1ten Theil Seite 230.*

tur ad partem præ cæteris debilitatam, vel continue irritatam, vel ægrotantem. Non quævis pars æque facile patitur recursum materiæ podagricæ, sed primario ventriculus, dein intestina, tum pulmones, deinde systema uropoëticum, denique encephalon, sed raro, etsi non infrequenter materia podagrica decumbente ad ventriculum vel intestina, adsint simul symptomata adfecti encephali, illa tamen videntur plerumque esse sympathica; nam avulsa materia podagrica ab intestinis, encephalon illico liberatur.

Causæ podagræ retropressæ sunt.

1mo. Applicata adstringentia, vel actu frigida ad erysipelas podagricum, pro mitigandis doloribus.

2do. Quidquid infringit vires ventriculi & intestinorum, nec non resorptionem materiæ podagricæ ad artus decumbentis, promovet: qualia sunt purgantia fortiora, emetica, phlebotomiæ in paroxifmo podagrico intempestive celebratæ. Huc referri meretur diætâ nimis tenuis, nec non in
gur-

gurgitatio & hinc contracta cruditas tempore paroxismi, quæ ventriculum debilitat irritat, materiam podagricam auget.

Materies podagrica retropressa sæpe producit mortem subitanam, aliquando febrem validissimam & periculosissimam, sæpe depositionem ad varias partes diverso eventu pro diversitate partium ad quas fit decubitus.

Quæ causa mortis subitanæ a retropressa podagra? Febris depuratoria materiæ podagricæ adhuc crudæ, vel tantum semicoctæ partem aliquam deponit ad pedes, ut sit extra circulationem, quo ipso residuam in sanguine materiam atrabilem eo melius coquere, & e corpore eliminare possit, simulque ipsa deposita materia coquatur & subtilissima ejus pars per perspiabile dissipetur, si ergo repente podagra retropellatur vires vitæ a nimia copia materiæ morbificæ superatæ succumbere debent, subsequente morte inopinata.

In retropressione podagræ vix non semper prævideri potest, ad quod viscus fiat

depositio, in illo enim spasmi leves, crampí, caloris molesti sensus, dolores tensivi, decubitus podagricum præcedunt, ubi si podagram in extremis figere, & partes internas roborare possis, retrofessionem evitabis.

Secunda species podagræ internæ est illa, ubi prægressis prodromis futuri paroxismi podagrici non fit depositio ad artus, sed ad partes internas. Hujus causæ sunt 1mo. Defectus virium. 2do. Artus materia tophacea repleti ut excludant materiam podagricam. 3tio. Pars quædam trunci ægrotrans. 4to. Pars aliqua trunci debilitata & irritata. 5to. Complicatio podagræ cum morbis aliis.

Tertia species podagræ internæ est, ubi materies podagrica pro parte ad artus, pro parte vero ad partes internas decumbit. Hujus causæ sunt 1mo. Vix non eadem quæ præcedentis speciei, 2do Magnus provenus materiæ podagricæ in sanguine &c.

Cura in prima specie variat pro diversitate visceris ad quas depositio facta est, de qua in cura podagræ larvatæ fufius dicetur.

De

De Cura in secunda specie idem observandum, quod de prima specie diximus.

Cura in tertia specie, si e. g. materies podagrica artus & una ventriculum occuparet; (quod omnium frequentissimum) hic artus fovendi balneis, cataplasmatibus fomentis emollientibus tepidis: interne propinandum podagragogum, ex quibus Philonium Dispens. Londin. cum vino Canariensi, vel Tocaino optimum est: a) horum usus continuatur usque dum podagra consueto more decurrat.

C A P U T X I.

De Podagra inertī, ejus causis atque cura.

Podagra iners dicitur illa, ubi ætate vel alia quacunque ratione vires vitæ enervatæ sunt, ut præsentē licet magna copia materiæ podagricæ, febrem depuratoriam,

D 4

vel

a) Crant. Beobachtungen über die chronische Krankheiten. Seite 239.

vel plane non possint, vel tantum imperfectam producere, qua plenaria despumatio sanguinis non fit, ut etiam tempore intercalari assidua tententur febricula, dolore artuum levi, & ut Sidenhami verbis utar: *Artus habent fere undiquaque contractos atque impeditos, ita ut quamlibet stare possint, forte etiam aliquantisper procedere, gressu tamen ita claudicante & permolesto prorepunt, ut etiam cum ambulent, quiescere videantur, & si ultra vires ambulare persisterint quo pedibus rectius valeant, quanto magis ipsos ambulando confirmant, & dolori excipiendo minus obnoxios reddunt, tanto, morbi fomes nunquam per hoc omne intervallum perfecte dissipatus, visceribus periculosius imminet, cum in pedes ita libere nequeat effundi, qui hoc morbi tempore vix unquam sunt doloris expertes, sed sensatione aliqua plus minus molesta semper tentantur, dolor hemoroidalis, disorexia, dispepsia, flatulentia & s. p.*

Cura in hac specie est tantum palliativa, quæ consistit:

Imo. In diætâ cardiaca, vinosa, nec excessu nec defectu peccanti.

2do. Exercitio corporis, primo frictione, uestione; dein viribus magis auctis equitatione; tandem obambulatione: si vero tanta sit debilitas, ut motum ad sui corporis sanitatem conservandam facere nequeant, utantur frictione, ope setæ huic usui adaptatæ (vulgo *Fließbürste*) more Anglorum; & aliquanto plus vini, quam secus soliti erant, bibant. Ventriculum præmuniant a depositione materiæ podagricæ, usu pulveris Ducis Portlandiæ, vel melius infusi Corticis Peruviani vinosi, addito pauxillo Rhei. Si alvo laborant obstructa summant sulphur, si vero depositio ad ventriculum jam facta sit, hic Philonium Disp. Londin. & Vinum Canariense indicatur.

C A P U T XII.

De Podagra complicata, ejusque Cura generali.

Complicatur podagra cum variis morbis febrilibus & non febrilibus. De complicationibus frequentioribus, aliquid dicendi scopus est. Complicatur itaque

1mo. Cum febre inflammatoria, quam bene dignoscere debes, nam si adsit febris inflammatoria, eaque notabilior, non habito respectu ad podagram, methodum adhibes antiphlogisticam, sicque sublata febre inflammatoria, podagra regulariter decurret, si vero febris inflammatoria desit, tu tamen pulsus duritie (quæ non raro major est ac in genuina inflammatione) seductus, eam subesse credis, phlebotomiamque celebra- bis, podagram multum exacerbabis.

2do. Cum febre biliosa, 3tio. Cum febre pituitosa, cum podagræ simul sint habitus plerumque mollis, pastacei, vitæque genus pituitæ generandæ faveat.

4to. Cum febre putrida. 5to. Cum reliquis arthritidis speciebus, unde etiam non raro cum arthritide venerea, hinc fit ut arthritidis genuina pro venerea, & hæc pro illa, non infrequenter sit habita, propter magnam symptomatum analogiam, namque febris, & dolores osteocopi, vel partium carnosarum &c. de die mitiores, ad vesperras & noctem exacerbantur, circa auroram remittunt, sed hæc symptomata adsunt & in arthri-

arthritide genuina, & forte constantius quam in syphilitica, sæpe syphilitidi supervenit arthritis genuina, cujus ratio esse potest, vel epidemia regnans arthritica, vel methodus medendi, diætæque cui syphilitici subjiciuntur c. g. diætæ lactea, vel sola vegetabilis, cui antea adfecti minime fuere, usus copiosus & protractus decoctorum sanguinem purificantium, frictions mercuriales, diuturna domi commoratio, & defectus consueti exercitii, mœror &c. cum videant suas res turbatas &c. quæ omnia corpus debilitando arthritidem superinvitant, unde fit non raro ut convenienti medendi methodo & diætæ sublata syphilitide, supermaneat arthritis ad omnia mercurialia rebellis, antiarthriticis vero facile debellanda, quæ certe syphilitica non est, hinc Cl. Prof. Max. Stoll maximo jure arthritis syphilitica ad optimam etiam methodum antisiphiliticam, convenienti sub diætâ rebellis, suspensionem movet, eam transitum fecisse in arthritidem genuinam: unde sepositis antisiphiliticis, morbum felici successu antiarthriticis adgreditur.

Quæ

Quæ de podagra regulari vel anomala huc usque diximus, valent de quacunque alia specie arthritidis genuinæ regularis, vel anomalæ, ut eas sigillatim profequi non sit operæ pretium, potius earum loco conabor exponere Cap. seq. differentiam arthritidis regularis ab anomala.

C A P U T XIII.

*De differentia arthritidis regularis,
ab anomala in genere.*

Arthritis regularis differt ab anomala imo. Arthritis regularis primo pedes; (quod frequentissima) dein manus, genua, cubitum, humerum, coxendicem & omnes alias articulationes petit: anomala vero truncum corporis, seu partes internas. 2do. Symptomata arthritidis regularis; in qualibet artu fere eadem sunt *np.* dolor, tumor creberrime, rubor sæpe, non raro ardor & tophi, si arthritis sit vaga, dolor vagus, tumor albus quasi œdematosus. Symptomata vero arthritidis anomalæ sunt varia, & diversissima pro diversitate partis internæ, ad quam
decum.

decumbit, sic si decumbat ad encephalon potest producere omnes capitis morbos, & eorum propria symptomata, idem de pulmone & reliquis visceribus observandum, ut certe nullus sit morbus sub cujus larva arthritidis anomala aliquando non luserit; per quas quantas clades humano generi non induxit? Quarum certe pleræque averti, vel saltem præcaveri potuissent, si ipsa arthritidis larvata prætervifa non fuisset. 3tio Arthritidis regularis est opus naturæ sese a materia morbifica liberantis, talisque crisis semper desideranda, tanquam ad conservationem vitæ necessaria, anomala vero ex naturæ frustratione oritur, raroque absque periculosissimo exitu suam ludit tragædiam.

C A P U T X I V.

De Signis diagnosticis arthritidis larvatae, a morbo sub cujus schemate ludit.

Antequam de Arthritide larvata agerem, juvabit exponere signa diagnostica arthritidis larvatae, a morbo sub cujus schemate ludit,

dit, ut in sequentibus Lectorem huc mihi relegare liceat, nec in quavis larva hæc eadem describere signa non parva Lectoris & mei molestia cogar; Signa illa erunt sequentia:

1mo. Si præcesserit arthritis regulis; cui evanescenti statim vel saltem non longe post supervenit præfens ægritudo.

2do. Si arthritide non penitus evanescente, at eadem multum mitigata, præfens comparuit ægritudo.

3tio. Si arthritis regularis non præcessit, sed una invasit ægrum cum alio morbo, ast hic illa ingravescente mitigatur, & illa evanescente ingravescit.

4to. Si vero arthritis anomala sine prægressa, vel concomitante arthritide regulari oriatur, hic attendas, an præcesserit causa prædisponens, & excitans pro ægritudine? quam dubitas num sit arthritis larvata. Si non præcessit, attendas.

5to. An subiectum olim arthritidem passum fuerit? vel saltem ad arthritidem prædispositum? an & causæ excitantes, vel etiam prodromi arthritidis præcesserint? an non arthritis sub hac larva epidemice ludat? An non superveniat arthritis regularis, cum magno morbi levamine? an morbus hic non alternet cum arthritide regulari? hæc si adesse deprehendes jure concludes arthritidem esse larvatam.

6to. Si morbus methodo propria tractatus ne hilum quidem emendetur, sub usu vero antiarthriticorum in melius vertatur. Ex his signis diligenter pensatis, dignoscas arthritidem larvatam, a morbo sub cujus schemate ludit.

Larvæ arthritidis anomalæ tot sunt, tamque multiplices, ac morbi partis internæ ad quas decubitus fit, quarum frequentiores describere conabimur cum sequentes ordinem, ut exponamus eas secundum viscera sub quorum morbis frequentissime sese occultant; unde 1mo. Sub schemate morborum abdominalium. 2do. Sub schemate morborum thoracicorum. 3tio. Sub
sche-

schemate morborum encephali, & nervorum.
4to. Denique sub schemate morborum cutaneorum describemus.

C A P U T X V.

De Arthritide larvata, sub schemate morborum abdominalium.

Arthritis larvata ludit sub schemate sequentium morborum abdominalium:

I. Sub schemate *ventriculi diverso modo depravati*; nullam partem internam frequentius invadit, nullam diutius tenet, nullam gravius affligit, nullam sæpius revisit arthritis anomala, ac ventriculum; facto decubitu arthritico ad ventriculum sequentia observantur symptomata; Anorexia, (sæpe tamen appetitus voracior) bradipepsia, nausea, vomitus sæpe moderatus & chronicus, ut bis ter circiter de die vomant, sæpe vero vehemens & citissime exhauriens, cardialgia, flatulentia, sensus ponderis, repletionis jejuno etiam ventriculo, sensus frigoris in ventre per menses durans, respiratio

ratio impedita, oscitatio, caephalalgia, vertigo, mæstitia, interdum scotopia, morbo provento supervenit pallor faciei, imbecillitas universalis a) & nisi tempestate frigida, mature mutata in calidam, vel medela exquisita revocetur arthritis regularis, dolore, languore, inedia confectus æger post multos menses occumbit.

Diagnosıs fit ex observatione signorum
Cap. XIV. expositorum?

Causa hujus anomalie est Primo, debilitas ventriculi nativa vel acquisita. Secundo, ægri tudines ventriculi. Tertio quis-
cunque stimulus ventriculo diutius applicatus, præfente notabili copia matterie arthriticæ in sanguine.

Cura. Si causa recursus podagræ ad ventriculum sit saburra, vires adhuc bonæ, vomituritiones inanes adsint, primo saburra excutiatur; dein enemate alvus moveatur; tum interne propinentur podagragoga. Si vero causa recursus aliud quid fuerit quam, saburra, vel si ipsa etiam saburra, ast ad-

E

sint

a) *Musgrave de Arthritide anomala, pag. 55.*

sint vomitus enormes exhaurientes, animi deliquium, frigus extremorum, hic illico opium exhibeatur ex multiplici causa n.p. a) Qua vomitum listens. b) Qua cardiacum. c) Qua sudoriferum, materiam podagricam ad superficiem corporis pellens. Si vero vomitus opio non obediat; dantur adstringentia cum aromaticis, haustus vini Canariensis, Tocaini, tinctura cinnamomi, potus diaphoretici ex Sambucinis, aceto antiseptico, camphora, Spiritu Mindereri, palmam cæteris hic præripit Philonium Disp. Lond. cujus loco dari potest Theriaca Andromachi sed dupla dosi, laudatur & potus aquæ glacialis. Externe pars antea arthritide obfessa, laxetur balneo, cataplasmate &c. emolliente, vel irritetur (quod melius) epispastico, vesicante; ad abdomen scuta stomachica, actu frigida, adstringentia applicantur. His adhibitis podagra vel deponitur ad artus cessantibus omnibus ventris molestiis; vel sensim sine sensu dissipatur e corpore.

Prophylaxis fit roborando ventriculum, sic dictis stomachicis, & usu aquæ martialis, observando simul regimen antipodagricum. Si his non obstantibus sæpius hæc redeat

anomaliam, fonticulos ad brachium, vel genua suadet Musgrave. a)

II. Sub Schemate *colicæ chronica*, in quibusdam vere & autumnopodagræ adinstar exquisitæ redeuntis; in aliis oritur maxime autumno, & nisi materiam arthriticam ad artus revocaveris, per totam durans, hiemem, pervigiliis, vomitu frequenti, dolore diro intolerabili, pulsu tamen naturali diu cruciato ægro mortem infert: facies hujus colicæ est eadem quæ biliosæ, cum qua sæpe confunditur.

Cura est eadem quæ vitiorum ventriculi, quum ea raro sola sed plerumque male simul adfecto ventriculo, vel & diarrhæa & diffenteria sit conjuncta, si vero sola foret neque dolor nimium excederet, opiatis abstinendum, vel saltim eadem partius propinanda sunt.

III. Sub schemate *diarrhææ*, quæ aliquando critica, (sed raro) sæpissime symptomata.

E 2

Cura

a) De Arthritide anomala p. 56.

Cura si sit critica est eadem quæ crifeos cujuscunque; si sit symptomatica curatur ut colica arthritica, si iisdem non cedat fiatque chronica, curatur: imo. Exercitio corporis, maxime vero equitatione, balneis frigidis. 2do. Medicamentis tonicis, diætaque simili. ●

IV. Sub schemate *dysenteria*.

Cura si sit simplex est eadem quæ colicæ, de qua, ut & de complicata dysenteria legendum est opus vere Hippocraticum (cui par, *Non oriens, vidit aut recumbens*) Cl. Prof. Max. Stoll. 2)

V. Sub schemate *hæmorrhoidum*, quæ sunt chronicæ cum alvo libera, levantur ab effluente sanguine piceo, & mucoso, sponte vel hirudinibus detractis, hæmorrhoides hæ sunt sæpe criticæ, præprimis si sint fluentes, sic enim materies arthritica eliminatur, tuncque vices agunt arthritidis regularis; sæpe sunt symptomaticæ licet sint fluentes, per plures septimanas menses du-

ran-

a) *Rationis medendi Tom. III. de Natura & indole dysenteria.*

rantes, tandemque in fistulam ani rebellem, mora gangrenescentem terminantur, cui toxics optata supervenit mors. Vidi hunc casum in Nosocomio SS. Trinitatis, in viro quadragenario, strenuo potatore temperamenti atrabilarii qui A. 1784 initiante Febuario infestabatur doloribus artuum vagis; quibus brevi evanescentibus supervenit tenesmus, dolor colicus, cephalalgia, febricula levis, stillicidium sanguinis picei mucosi ex intestino recto, omnia hæc symptomata circa vesperam exacerbabantur, circa auroram remittebant, ut de die tantas æger non moveret quærelas, appetitus fuit voracior, inconsulto medico initiante morbo phlebotomiam bis celebravit cum exacerbatione mali. Die 14. morbi in Nosocomium delatus sub usu solventium, & selectissimorum antiarthriticorum non multum profecit, aliquoties tamen subortis artuum doloribus levabatur per 2. 3. dies, ast iisdem evanescentibus, morbus iterum detonabat ac ante, usque dum 4to morbi mense acrimonia rodente intestinum rectum exulceraret, fistulamque produceret rebellem ad optima remedia, quæ mox gangrenescebat superveniente dissolutione sanguinis, & hinc

hæmorrhagia narium non sistenda, facies Hippocratica, mors.

Indicatio in hæmorrhoidibus arthriticis si sint criticæ est ut in qualibet crisi; si vero symptomaticæ, est ut in omni arthritide anomala. 1mo. Partem affectam quantotius liberare. 2do. Effectus remanentes tollere. 3io. Recidivam impedire.

Pars adfecta liberatur materiam arthriticam ad artus revellendo, vel si hoc fieri non possit, resolvendo attenuando e corpore expellendo; prius tentatur artus laxando emollientibus, vel eisdem irritando vesicante: interne propinando antiarthritica: posterius fit iisdem antiarthriticis, viribus ægri commensuratis, an & vesicans ad oss sacrum applicari possit eo scopo, ut evocetur materies arthritica?

Effectus tolluntur diverso modo pro diversitate effectuum.

Recidiva præcavetur partem roborando, & regimen observando antipodagricum.

VI. Sub schemate *Hypochondriasis* cum materie, seu *melancholiæ*, imo & *maniæ*; nam hæ ægritudines suborta arthritide curantur, nec est infrequens futuros arthriticos fieri prius hypochondriacos cum, vel sine materia, vel hemorrhoidarios, qui morbi suborta podagra regulari disparent.

Cura fit solventibus, saponaceis, amaris, mellitis eccoproticis, victuque simili, exercitio corporis in aëre libero, itineratione ad thermas diffitas sulphureas, potuque earundem aquarum thermalium in grato amicorum consortio; rusticatione sub usu feri lactis, aquarum medicatarum solventium, resolventium, e. g. Sedlicensium, Selteranarum &c.

VII. Sub schemate *Hæmorrhagiæ* uterinæ, si materies arthritica deponatur ad uterum, oritur sensus ponderis, doloris, major sanguinis affluxus propter continuam irritationem, hinc hæmorrhagia, in utero vero gravido non raro abortus.

Cura si adsit orgasmus humorum, pulsus plenus, fortis, durus, sunt venæ sec-

tiones, injicitur enema emolliens, dantur antiphlogistica, eccoprotica, an et potus aquæ frigidæ? Externe partes antea arthritide regulari obfessæ foventur emollientibus tepidis, vel irritantur vesicante, fomentum ex aqua glaciali vel adstringentibus ad regionem pubis, injectiones aquæ frigidæ in uterum: si ad hæc arthritidis castra non moveat, hæmorrhagia pergat, ægra nimium debilitetur, danda sunt medicamenta adstringentia.

VIII. Sub schemate *Fluoris albi*: si materies arthritica deponatur ad genitalia muliebria, oritur fluor albus cum muco ductili, pendulo, statim in initio acri rodente, flavo virescente, viridi, hinc cave ne fluorem album habeas pro venereo ex eo quod in initio illico rodens, flavo-virescens sit & quod dolores vespertini, nocturnive de die silentes adsunt, vel de die sunt mitiores, de nocte exacerbantur, circa auroram remittunt: nam hæc arthritidi etiam genuinæ conveniunt. Hæc cautela ratione curæ magni momenti est, num fluor albus venereus, antisiphiliticis optime curatur, quibus fluor arthriticus pessime exacerbatur, ob.

observante Cl. Prof. *Max. Stoll* . Præceptore meo ad cineres usque venerando.

Cura fit materiam arthriticam ad proprium locum reducendo , quod fit dato primo purgante tonico , v. g. Rheo , dein propinatis antiarthriticis cum Rheo, Marte, Balsamis nativis, ut bis ter alvus intra nycthemeron moveatur , loca antea arthritide obfessa , laxentur emollientibus , vel quod melius est , irritentur vesicante , si reduci non possit ad loca consueta , continuantur antiarthritica cum tonicis balsamicis & blande alvum moventibus , donec fluor cesset.

IX. Sub Schemate *carcinomatis* vel *scirri* uteri ; sæpe si daponatur arthritis ad officium uteri , producit tumorem durum scabrum dolentem , scirrum mentientum ; eum tamen non esse , sed potius arthritidem larvatam patet , quod superveniat arthritidi repente cessanti , superveniente arthritide mitigatur dolor , & arthride per totum corpus disperso cessat , sub usu antiarthriticorum penitus resolvitur , & disparet.

X. Sub Schemate *tumoris* magni in regione uterina, ut imponat pro graviditate: esse vero arthritidem larvatam, convinceris, ex rationibus No. IX. expositis. Vidi similem casum in Nosocomio SS. Trinitatis, in duabus puellis, & una vidua; juvabit ex iis unius succinctam historiam huc inferere:

Puelia 20. Annorum, temperamenti sanguinei, legitime menstruata, ante diu sana: An. 1784 Mense Februario; corripitur arthritide vaga, cui 10 morbi die supervenit febris biliosa, qua curata persistabat arthritis rebellis, vel ad optima remedia, circa sextam morbi septimanam arthritis mitescit, ast regio pubis ea proportione increfcit, elatio hæc hypogastrii nobis in principio suspicionem moverat de graviditate, quam tamen veram non fuisse, ex sequentibus elucescet, circa octavam morbi septimanam, ægra arthritide libera & ceteroquin sana, si tumorem hypogastrii excipias, revertitur ad suos: post duas septimanas incidit in febrem tertianam duplicatam, quæ præmissis præmittendis Cortice Peruviano, debito modo exhibito non aufcultabat; ast exortis doloribus arthriticis

omnes artus, sternum, lumbos, dirissime vexantibus, ut vel a tactu e longinquo intentato ejularet, febris tertiana sponte evanuit, una cum tumore hypogastrii, qui sub febre ne hilum quidem emendabatur, puella hæc sub usu sambucinarum, stibiatorum, florum Arnicæ ab omni arthritide liberata ad suos rediit. Ex his patet ludere arthritidem, non tantum sub schemate tumoris, sed etiam febris intermittens.

XI. Sub Schemate *Neuritidis*: quæ quomodo dignoscatur a genuina, Cap. XIV exposui.

Cura est antiarthritica.

XII. Sub Schemate *Disuriæ, stranguriæ*. Diagnofis patet ex Cap. XIV. Cura est artiarthritica.

XIII. Sub Schemata *caruncularum uretræ*, nam fi ad eam decumbat materies arthritica eam constringit ut exhibeat inæqualitates catetere detegendas, vel sæpe illius applicationem impediens, quæ habentur pro carunculis.

Cu-

a nobis capite XIV. expositis) fit antiarthriticis, ut in fluore albo diximus.

Obs. Gonorrhœam arthriticam meracam, in feniculis observare non est infreqvens.

XV. Sub schemate *vermium* ludit maxime arthritis nondum formata, ut ad superficiem corporis ablegari possit, sed œsophagum, ventriculum, intestina, oberrans, producit syllogem symptomatum verminosorum, ut jures morbum esse verminosum; quem tamen non esse convinceris, dum videas cessare eam suborta arthritide & antiarthriticis penitus profligari. Hæc de arthritide anomala latente sub larva morborum abdominalium, nunc sequitur ut exponamus ejus larvas sub schemate morborum thoracorum.

C A P U T XVI.

De arthritide larvata, sub schemate morborum thoracorum.

Arthritis larvata ludit.

I. Sub schemate *catarbi, tuffis, & peripneumonia*. Diagnofis defummitur ex fignis capite XIV. expositis. Indicatio eft, pulmones quantoties liberare, reducendo materiam arthriticam ad artus, vel fi id fieri non poffit, alia via evacuare: dein effectus remanentes tollere; tandem recidivam præcavere. Revocare tentamus arthritidem, primo viribus ad debitum moderamen redactis, interne dando antiarthritica, initium faciendo a mitiffimis, & fi fputa adfint fimul cum anacatharcticis, nam per fputa, magna pars, fi non omnis materiæ arthriticæ evacuat. Externe, ad locum antea arthritide tentatum, aplicentur veficantia; omnia colutoria ferventur aperta. Si his omnibus fruftra tentatis, arthritidis ad artus derivari non poffit, altera nobis supermanet indicatio, n.p. materiem arthriticam evacuare, hoc fit antiarthriticis, & anacatharcticis (fi fputa adfint) qvalia funt Sambucina cum nitro, ftribiatis, extracto florum Arnicæ, Gumi ammoniaco, Refina guajaci. Notari meretur, quod arthritidis ad pulmonem depofita, rariffime poffit ad artus revocari, fed plerumque evacuat fputis, & diaphorefi,

rēsi, quod non semel vidimus, in Nosocomio SS. Trinitatis, & Pasinianiano.

II. Sub Schemate *pleuritidis*, hic indicatio & cura eadem quæ in peripnevmonia, cum hac differentia, quod sputis non judicetur.

III. Sub Schemate *Phthysis pituitosa*. Diagnōsis formatur. 1mo. Ex signis Capite XIV. expositis. 2do. Quod Phthisis arthritica, amet ætatem mediam, & senilem; genuina vero plectat ætatem juvenilem; in arthritica sputa sunt mucosa pendula, spermatarum non absimilia, in genuina vero sunt purulenta. Febris hectica in phthysi arthritica est mitior, & tardius supervenit. 3tio. Phthisis arthritica, antiarthriticis mature adhibitis, sine magno labore sanatur; neglecta vero, frequenti tussi, pulmones exulcerat, hæmoptoen, & dein phthysin veram superinvitat.

Indicationes sunt eadem ac in peripnevmonia arthritica; unde & cura eadem cum hac tamen differentia, quod in phthysi arthritica, nulla sit inflammatio, in peripnev-

nevmonia vero arthritica sæpe adest, vel saltem metus eĩt, supervenientis phlogosis: unde in phthysi arthritica dantur antiarthritica expectorantia, cum tonicis, e. g. Flores Arnicæ, cum Polig. amara, Lich. Island. vel Cortice. Conveniunt simul externe, si revulsio ad loca consveta vesicante frustra tentata est, fonticuli, setacea, rusticatio, æquitatio, quæ in phthysi genuina, sine morbi exacerbatione in usum trahi non potest.

IV. Sub Schemate hæmoptoe; materiam arthriticam ad pulmones depositam, subsequitur opressio thoracis, tussis, hæmoptoe sine causis manifestis, sanguis rejectus non est coccineus, sed spumans, (saltem raro) potius obsolete ruber, febris sæpe nulla, hanc hæmoptoeo nec phthisis, nec aliud subsequitur incommodum, nisi aliena accesserit medicatio. Hanc larvam arthritidis, non semel vidi feliciter curatam, & quidem bis in subjectis ad phthisim, prædispositis, ex quibus sequentem historiam, huc inferere placuit: Aurifaber annorum 20. cum prædispositione corporis phthisica anno 1784. mense Majo, corripitur febre inter-

intermittente tertiana duplicata, cui brevi comitem se adjungit arthritis vaga, artus & intugumenta capitis oberrans, prima Julii in Nosocomium SS. Trinitatis delatus, ex febre intermittente convenienti methodo convaluit, persistente arthritide rebellis, mox de repente supervenit, hæmoptoë valida, cum pulsu pleno, forti, duro, evanescente penitus arthritide; repetitis pro necessitate phlebotomiis, sub usu antiphlogisticorum perfecte convaluit, arthritide non ultra recurrente, & ad hucusque tempus perfecta fruitur valetudine. Ex hac historia videre est, materiam arthriticam vagam, in pulmone figi, hæmoptoën excitare cum eaque e corpore expelli posse, sub convenienti methodo medendi perfecta redeunte sanitate.

Indicatio hæmoptoën sistere; grumos sanguinis expectorare; recidivam præcavere. Hæmoptoë sistitur. Si adsit febris, cum viribus vitæ exorbitantibus, eam prudenter deprimendo, methodo antiphlogistica generosa, quiete, situ corporis, &c. quo facta, si hæmoptoë non cesset, tentanda erit revocatio arthritidis ad loca consueta, ap-

F

plicate

plicato nempe vesicante, datisque interne antiarthriticis mitissimis, e. g. Emulso leviter camp' orato, cum potu aquæ frigidæ. His nihil juvantibus, imminente, vel jam præsentente cheneangea, ligatura extremitatibus injicitur, & interne dantur adstringentia, cum potu aquæ frigidæ, quæ si non juvent, mors subsequitur.

Alteri indicationi, n̄p: ut gr̄umi sanguinis expectorentur, satisfaciemus leniter expectorantibus. Ultimæ vero indicationi satisfaciemus pulmonem roborando, & regimen antipodagricum observando.

V. Sub schemate *Asthmatis chronici*, sæpe continui, sæpe vero periodici, hoc potest esse, imo. Vernale, vel autumnale, vel utrumque simul, podagræ adinstar regularis recurrentis semel vel bis in anno, tempus intermedium transigitur sine omni, vel saltem levissima difficultate respirationis.

2. Diurnum; aliquando vespertinum, nocturnumve, ut omni die, vel omni alterno die, stato tempore recurrat, febris adinstar intermittens larvata, pro qua non raro imponit. 3tio. Convulsivum, ubi paroxifinus

roxifinus asthmaticus, de die silens, sub somni tempus redit, vel si de die adfuerit, ast tollerabilis, nocte exacerbatur, cum terrore expergesunt, lecto exiliunt, ad fenestras properant, liberam captantes auram, sæpe vero surgere non possunt, strangulantur, livescunt, ore spumant, mentis impotes fiunt, pulsus tenuis vix micans, mox post aliquod tempus ad se redeunt; nec præter lassitudinẽ, & spirandi difficultatem quidquam sentiunt incommodi. Asthma arthriticum, mihi aliquoties videre contigit in Nosocomio præctico & SS. Trinitatis ex quibus unius historiam hic succinctẽ prosequar :

Chirurgus annorum 22 Asthmate protopatico, chronico continuo, de nocte arthritidis adinstar exacerbato, jam per sesquialterum annum laborans, cæteroquin sanus; Anno 1784. ineunte Novembri, in Nosocomium præcticum recipitur, ubi Cl. *Professor Maximilianus Stoll*, factõ accuratissimo ægri examine, habita simul ratione juvantium, & nocentium, asthmatis hujus indolem, ejusque causam proximam, determinare non poterat; (nulla enim præces-

ferat arthritis) & a reliquis indicationum fontibus derelictus; ex aliqua analogia morbi præsentis cum doloribus arthriticis, morboque stationario arthritico, indicationem desumfit curam agredi antiarthriticis mitioribus; sub quorum usu mox comparvere dolores arthritici, cum respirationis aliquo levamine, ex quo confirmabatur Cl. Vir in sua quam primitus formaverat diagnosi, esse nempe Asthma arthriticum, hinc continuabat usum antiarthriticorum, sed cum lenioribus non cederet morbus, propinabat fortiora, n̄p Resinam guajaci cum extracto ejusdem aquoso, dein Flores arnicæ, tum & vesicantia inter scapulas, sub horum usu diuturno supervenit arthritis febrilis, intra 14 dies terminata, Asthma perfecte judicans. Ex hac historia patet, quam difficilis sit diagnosi arthritidis larvatæ protopaticæ. Ubi ab omnibus derelictus, indicationum fontibus, analogia, & cognita indoles morbi stationarii, tibi acus adinstar erit magneticæ, in formanda indicatione.

Indicatio, in Asthmate arthritico est, pulmonem liberare; effectus a morbo remanentes tollere; recidivam impedire. Pul-

mo liberatur, revocata arthritide regulari; si quod non possi, materiam arthriticam resolvere, attenuare, e sanguine eliminare; prius tentatur, interne datis antiarthriticis, & si asthma humidum fuerit, simul anacatarcticis; externe applicando vesicantia, ad locum antea arthritide obsessum. Si vero arthritidis fuerit vaga, tum convenientius est applicare vesicans inter scapulas, vel Corticem meserei infra insertionem deltoidis. Reliquis indicationibus quomodo sit satisfaciendum per se patet.

VI. Sub schemate *Hydrothoracis*, sæpe namque deposita materia arthritica, ad pulmonem respiratio fit asthmatica, subsequitur tussis sicca, vel aquosa spumosa, decubitus supinus & horizontalis impossibilis, expergescitio nocturna cum terrore, ut æger lecto exiliat, ad fenestras properet, recentem captans auram; his supervenit œdema pedum, (si *np.* æger phlebotomiis intempestivis exhaustus fuerit.) Præsentibus licet his signis *Hydrothoracis*, eum tamen non esse genuinum, sed arthriticum cognosces ex signis Capite XIV. expositis. Curatur ut *Asthma arthriticum*.

VII. Sub schemate *Angina arthritica*.

Cura. Si sit febrilis, cum viribus vitæ exorbitantibus, methodus antiphlogistica generosa, externe ad collum discutientia, & dein vesicans; ad locum ante arthritide obsessum, pariter vesicans indicatur. Si hi^s non cedat dantur antiarthritica, initium faciendo a mitioribus.

VIII. Sub schemate *Strumæ*. Cura tentatur antiarthriticis in- & externis, sed raro succedit.

C A P U T XVII.

De Arthritide larvata sub schemate morborum encephali.

Arthritis larvata ludit, non raro etiam sub schemate morborum encephali & quidem.

I. Sub schemate *Cephalæa vespertina*, *nocturnæ*, dirissimæ, ut noctes agant insomnes inter ejulatus, & vix non in furorem rapiantur, præ nimio dolore, qui constrictione capitis levatur, commorationem in lecto non patitur, hinc plures horas extra lectum

lectum agunt, tanta simul est sensuum intensio, ut lucem, strepitum, vocem altiore, sine exacerbatione doloris non ferant, dolor de die mitissimus vel nullus, redit omni vespera, vel omni alterna vespera, statuta hora cum vel sine frigore, subsequo calore, circa mediam noctem sudore largo remittit, vel intermittit, ut posset imponere pro febre intermittente larvata, quam tamen non esse docent: 1mo. Ejus alternatio cum arthritide, 2do. Cortici Peruviano non cedit, 3tio. Anziarthriticis sanatur. Cephalæ hæc nocturna sæpe habetur pro syphilitica, præcipue si adsit simul Dysuria, licet arthritica, & male antisiphiliticis subjicitur. Observatur in ætate media vel senili, crassis plethoricis &c.

Indicatio est, caput liberare; revocando arthritidem ad loca consueta, vel si hoc non possit; solvere, attenuare, evacua-
re materiam arthriticam: prius tentatur præmissa (si sit necesse) phlebotomia, propin-
quando dietim eccoprotica, cum antarthriti-
cis; externe, vero applicando ad loca antea
arthritide obsessa vesicans, vel si antea ar-
thritidis vaga fuerit, vesicans potius ad nu-
cham

cham quam ad artus applicabitur, vel etiam Cortex Meserei, ad insertionem deltoidis : posterius tentatur iisdem antarthriticis & simul eccoproticis nec non vesicantibus at non artibus, sed nuchæ applicatis.

II^{do}. Sub schemate *Vertiginis chronicae*.
Cura eadem quæ cephalææ.

III^{io}. Sub schemate *Apoplexiæ*. Cura eadem quæ apoplexiæ calidæ, cum hac differentia, quod hic vesicantia citius applicantur, & restituta deglutitione, præmissisque evacuationibus, illico dantur antiarthritica mitiora eccoproticis maritata; licet hæc omnia summa cum diligentia administrantur; plerumque tamen fato cedunt. Ego saltem hanc larvam, in Noscomio SS. Trinitatis ter vidi, sed semper lethalem.

IV^{to}. Sub schemate *Epilepsiæ*, cujus proprietates sunt. Imo. Quod sæpius redeat, sæpe omni septimana semel, bis, non raro omni die & quidem plus vice simplici. 2^{do}. In quibusdam functiones animales non abolentur, ex sensibus etiam externis auditus superest; in aliis omnes functiones
ani-

animales silent, ac in epilepsia genuina, 3tio. Stadium epilepsiæ genuinæ alterum non, *suporosum* desideratur in epilepsia arthritica. 4to. Sexum fœmininum præferit virili, ego saltem in constitutione arthritica, quam per integrum annum observavi, inter viros eam nunquam, inter fœminas vero non semel vidi.

Diagnosıs epilepsiæ arthriticæ formatur, ex proprietatibus modo dictis, in considerationem simul trahendo ea, quæ Cap. XIV. dicta sunt.

Cura in paroxismo est tantum palliativa, ut in epilepsia genuina, adhibendo simul odoramenta antihysterica. Extra paroxysmum vero methodus antiarthritica in usum trahitur; præ cæteris tamen efficaciora vidimus Gumiresinam guajaci, Flores Arnicæ cum Sulphure aurato antim: tertiæ præcip: cum usu balneorum frigidorum, & regiminis antipodagrici.

V. Sub schemate *Choreæ sancti Viti*; cujus symptomata graphice descripsit Sydenham

denham a) quibus addi merentur sequentia adhuc symptomata: np. Aponia per vires rediens, vel continua; non minor mentis ac corporis mobilitas, ut subito sine causa mox in Cachinos, mox in fletus erumpant &c.

Curatur purgatis primis viis dando antiarthritica inter quæ palmaria sunt, flores arnicæ per se, vel cum extr: Rad: Valer: dein Extr. Aconiti, in auxilium simul vocando ignem electricum ut conjunctis viribus præstarent id, quod seorsim non poterant: hac methodo vidi plus vice simplici Choream St. Viti in Nosocomio practico feliciter curari. Sub horum usu diuturno judicatur morbus arthritide superveniente vel diaphoresi largiore.

VI. Sub schemate *Opistotoni*. Curatur antiarthriticis & vellicantibus ad nucham applicatis.

VII. Sub schemate *Paralyseos* artuum *Hemiplegia*, *Paraplegia*.

Cura

a) In Scheda Monit de novae febris ingressu p. 526.

Cura purgatis primis viis interne dantur antiarthritica, externe adplicantur vesicantia, frictiones partis paralyticæ bis ter de die cum linimento ex una parte Ræ. Cantharidum, & duabus tribusve partibus Spiritus Scrpilli.

VIII. Sub schemate *Hypochondriasis sine materie* seu *Hysteriæ*; cujus causa proxima, non sola irritabilitas peccans, (ut creditur) sed simul materia arthritica volatilis, notante Cl. Professore Max Stoll. Hæc materies volatilis si deponatur ad œsophagum facit globum hystericum, si ad ventriculum vomitum hystericum, & sic pro diversitate partis diversissimos producit morbos, omnes ab eadem causa productos, nec nisi forma a se invicem differentes.

Indicatio in paroxifino est nervos componere & materiam arthriticam dissipare, quod fit sic dictis antihystericis np. Castoreo, Moscho, Camphora, Liqvore C. C. succin. Liqvore Anod. Min. Hoffm. &c. addito simul opio: extra paroxifinum indicatio est regidivam præcavere; quod fit regimine antipodagrico, & medicamentis tonicis; interque
pal-

palmarica nobis sunt cortex Peruvianus, Mars
& Gumata ferulacea.

IX. Sub schemate *morborum nervinorum* quorumcunque, præprimis in irritabilioribus & arthritide obnoxiiis, ut *Cl. Professor Stoll.* latente omni alia causa morbi nervini, suspicetur aliquid subesse arthritici, quod methodus medendi antiarthritica cum successu adhibita confirmat.

C A P U T XVIII.

De Arthritide larvata sub schemate morborum oculi.

Arthritis larvata ludit aliquando sub schemate etiam morborum oculi, & quidem.

I. Sub schemate *Ophthalmiæ* chronicæ; rubor hic minor ac in genuina, purritus, dolor insignis de vespera exarcebatur, subortis doloribus artuum cessat, vel saltem mitigatur.

Cura præmissa (si sit necesse phlebotomia) absolvitur interne datis eccoprotici, anti-
ar-

arthriticis, np. antimoniatīs, extracto fl. Arnicæ, aconiti-pulsatillæ nigricantis; externe, colliriis discutientibus ex aqua vegeto-minerali, vesicante si arthritīs fuerit retro-pressa ad locum antea arthritide occupatum, si vero fuerit vaga inter scapulas applicato; fonticulis seraceis in usum vocatis.

II. Sub schemate *Epiphoræ*. Cura est derivans & antiarthritica in & externe adhibita.

III. Sub schemate *Lipitudinis chronicæ* quæ oritur si materia arthritica deponatur ad glandulas meibomianas. Curatur ut ophthalmia arthrit. exclusa phlebotomia.

IV. Sub schemate *Cataractæ*. Vidit *Cl. Prof. Stol* a metastasi materiæ arthriticæ, una nocte subortam cataractam: sic vidi & ipse dum hæc scriberem cataractam in homine 43 annorum, potatore insigni, sanissimo, sine omni causa manifesta una nocte subortam, diligenti factō examine, causa nulla detecta, nec ullum in corpore vitium inventum est: hinc generalis formabatur indicatio tentandi derivationem ab oculo; quæ intendebatur

batur purgante, & dein vesicante inter scapulas applicato, quod per aliquot dies apertum servabatur: interne propinatur extract. Arnicæ; tertio curationis die levis & brevis evanidus interdum sese manifestat dolor per totum dorsum; & brachium dextrum, cum pauxilla cataractæ emendatione, ut hinc hanc cataractam arthriticam non dubitem esse.

Cura absolvitur eccoproticis & antiartriticis externe vesicantibus, fonticulis, setaceis &c. ut in ophtalmia arthr:

V. Sub schemate *Amaurosis*: hanc larvam vidi in Nosocomio practico A. 1784. mense Martio, in lanione 22 annorum temperamenti sanguinei, qui primo laborabat arthritide vaga, cui sexto die supervenit febris biliosa, tum arthritidis figitur in thorace & abdomine, hisque partibus inflammationem superinducit; methodo antiphlogistica dum inflammationi profligandæ incumbitur febris biliosa transitum facit in putridam, quæ, phlogosi fracta, propria methodo curabatur. Aeger incipit reconvallescere, arthritidis vero; cujus sub febre putrida

trida vix ullas movebat querelas æger, nunc artus dirissime vexat, sed non diu, post tres enim circiter dies penitus evanescit, superveniente amaurosi oculi dextri; applicatis sinapismis, vesicantibus, interneque propinquo decocto Fl. arnicæ, tentabatur revulsio ad pedes, sed frustra, artus equidem levi dolore tentabantur brevi evanido, qui amaurosim ne hilum quidem emendabat; pergebatur in usu florum Arnicæ, sub quo intra tres menses amaurosis penitus evanuit, sine ullis comparentibus doloribus arthriticis.

C A P U T XIX.

De Arthritide larvata, sub schemate morborum cutaneorum.

I. Sub schemate *Erisipelatis chronici*, fixi, rebellis, ichorem tandem fundentis; observatur in subiectis arthritidi obnoxiiis, suborta podagra regulari sanatur.

II. Sub schemate *Efflorescentiarum cutaneorum*; *np. Achoris, Herpetis, macularum quasi peteckialium, vel scorbuticorum, pustularum, erisipe-*

spelutis vagi, gutta rosacea: hi morbi sunt
crisis arthritidis.

Cura absolvitur purgatis primis viis,
solventibus, attenuantibus, diluentibus ec-
coproticis, & simul leniter diaphoreticis,
non negligendo regimen antipodagricum.



T H E S E S.

I.

Podagra suos accepit natales, postquam homines in luxu omnium rerum insignem fecerant progressum.

II.

Hinc in quibusdam regionibus, & in his etiam in certa hominum classe, præ reliquis dominatum tenet.

III.

Nata semel podagra, eadem est hæreditaria.

G

IV.

IV.

Podagra hæreditia jam formata, curam radicalem vix agnoscit.

V.

Hinc oportet antequam erumperet, in femine suffocare. (de quo vide Cap. V.)

VI.

Podagra adqvisita, necdum inveterata, viribus adhuc bonis, est curabilis.

VII.

In podagra, defectus virium, & summa senectus facit morbum quasi complicatum, qui deversam curationem exigit, tam in -, quam extra paroxysmum, ab illa podagræ regularis, viribus vitæ adhuc constantibus.

VIII.

Podagra inveterata pertinacissima, sub regimine antipodagræ mitigatur, ut scopus

pus naturæ melius obtineatur, tempus intermedium sit longius, paroxismus brevior, & minoribus stipatus molestiis.

IX.

Podagra regularis præservat a morbis biliosis.

X.

Melancholiam, Maniam, Hæmorroides; superveniens podagra regularis, plerumque feliciter judicat.

XI.

Podagra regularis sub conveniente regimine periculo caret.

